

Franckesche Stiftungen zu Halle

Programm Paschale De Meditatione Jesu Christi Ex Mortuis Suscitati Necessaria Et Salutari 2 Tim. II. v. 8. Propositum A Rectore Et Senatu Academiae ...

Salthenius, Daniel

Regiomonti, [1749?]

VD18 13312103

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:obv:ha33-1-193171



52 K 6

PROGRAMMA PASCHALE ²⁰¹₂₂
DE
MEDITATIONE
JESU CHRISTI

EX MORTUIS SUSCITATI
NECESSARIA ET SALUTARI

2 *Tim. II. v. 8.*

PROPOSITUM


A

RECTORE ET SENATU
ACADEMIAE REGIOMONTANAE.

ANNO



MDCCXXXIX,



REGIOMONTI,

STANNO REGIAE AULICAE ET ACADEMICAE TYPOGRAPHIAE.



quem Angeli Servatorem nobis natum esse Luc. II, 11. prædicarunt, *Cives*: & qui, cum dives esset, propter nos pauper fuit, ut nos eius paupertate ditaremur, 2 Cor. VIII, 9. qui porro nostros tulit morbos & dolores, atque ob peccata nostra contusus, immo peremptus est, factusque pro nobis execratio, Jes. LIII, 4. 5. 6. 1 Cor. XV, 3. Rom. V, 6. 8. 2 Cor. V, 14. 15. 21. Gal. I, 4. cap. III, 13: idem beneficentissimus Servator etiam propter nostram iustificationem ex mortuis surrexit, Rom. IV, 25. 1 Cor. XV, 17. Act. III, 26. & ad Patrem ascendit, ut nobis mitteret Spiritum S. Joh. XVI, 7. Act. I, 4. 5. cap. II, 33. 38. & sedit ad dextram Dei, ut nunc Deo coram appareat pro nobis, ac pro nobis intercedat, Rom. VIII, 34. Ebr. VII, 25. cap. IX, 24. Ut proinde clarissimum sit, non illa modo, sed hæc etiam, pariter cum illis, e re nostra quam maxime fuisse, & in negotio salutis expediendo necessaria.

Enimvero non solum id necessarium fuit, ut humani generis Servator ista perficeret cuncta: sed & hoc flagitavit necessitas, ut hæc ab optimo Servatore perficienda aut perfecta scirent homines, eademque rite susciperent, & sancte meditarentur, atque ad sua commoda recte converterent; idque non tantum in N. F. postquam perfecta erant; sed in veteri quoque testamento, cum promissa modo essent, velut præstituto tempore perficienda. Huiusque rei necessitatem primum ipse Deus O. M. liquido confirmavit, qui ne quidem patres olim in eius ignorantie versari sivit, sed initio eos multifariam & multipliciter allocutus est, & hoc mysterium variis delineavit figuris, post etiam per Moysen & Prophetas literis mandavit, sic oportere Christum non tantum supplicio affici, sed etiam tertia die *ex mortuis resurgere*, Luc. XXIV, 44-46. Deinde eam omni studio confirmavit Jesus Christus Servator, qui quoties perpassiones suas ac mortem prædixit, toties etiam monstravit, tertia se die in vitam rediturum, Joh. II, 19. 21. 22. Matth. XII, 39. 40. cap. XVII, 22. 23. cap. XX, 18. 19. idque omnino sic fieri oportere, cap. XVI, 21. cet. Et cum discipuli illum ingenti voce clamantem Patri in manus suam commendasse spiritum semel observarant: ipse se illis vel decies, cum singulis, tum universis, atque deinceps etiam Paulo vivum monstravit, firmissimisque probavit rationibus, se omnino revixisse, Luc. XXIV, 26. 27. 39-48. 50. sqq. Joh. XX, 20. sqq. Act. IX, 4. sqq. c. XXII, 6. sqq. 17. sqq. 1 Cor. XV, 4-8. Denique eadem cum verbo tum scriptura confirmarunt Apostoli, quos horum omnium testes Christus ipse appel-

appellaverat Luc. XXIV, 48. quippe qui neque solas perpeffiones, vulnera atque mortem Christi, neque resurrectionem eius tantum prædicarunt: sed ad mandatum Domini, & secundum eam, quam ipse constituerat, dispositionem Luc. XXIV, 46. 47. 48. 1 Cor. XV, 3. 4. 8. pariter resurrectionem atque mortem Domini, & quidem utramque necessariam ad salutem, cunctis hominibus efficacissime proposuerunt, atque inde eos ad pœnitentiam & fidem graviter hortati sunt; quin etiam eundem doctrinæ salutaris typum in cœtu Christianorum perpetuo servandum instinctu divino literis mandarunt. Sic Petrus Act. II, 22-24. & 32. 33. 36. iterumque cap. III, 13-15. & 26. & iterum cap. IV, 10. & 33. Et ne quis obiectioni locus supersit, quasi Petrus hæc modo Judæis prædicasset, quos ideo de resurrectione Christi certiores fieri oportebat, quoniam Christum in crucem egerant: ecce eundem doctrinæ salutaris typum eadem ratione etiam gentibus efficacissime propositum Act. X, 38. 39. 40. 41. hos autem Petri auditores fuisse *Ἰαῖς*, extraneos & præputiatos, manifestum ex cap. XI, 1-3. & 18. & cap. XV, 7. Quid? quod ille ipse, & quidem cum ceteris Apostolis, muneris & legationis suæ socium, qui Judæ succederet, circumspiciens, non aliud ei atque sibimet imposuit nomen, quam *μαρτυρὰ Ἰησοῦ ἀναστάσεως*, *testem resurrectionis Christi una secum*, Act. I, 21. 22. Optime noverat, rationem muneris Apostolici in eo sitam esse, ut hominibus viam salutis per Christum traderent: sed huius negotii partem præcipuam esse, ut Apostoli resurrectionem Christi prædicarent, illud ei pariter perspectum erat; proinde ab hac velut potiori muneris parte eos denominabat.

Idem evangelium eodem modo ac ordine Paulus prædicavit, cum Judæis, tum gentibus, Act. XIII, 28-31. & 33-37. 38. & 42. cap. XXVI, 22. 23. etiam Pbilosophis, cap. XVII, 18. 30. 31. atque ut hoc ipsum inter Christianos permaneret, instinctu divino complures exaravit epistolas, quæ salutaris doctrinæ huius præceptis abundant. Eminent vero inter cetera illud, quod, post innumeros labores, perpeffiones, & victorias, iam immolandus & evangelium hoc postremo suo sanguine cum vita obfignaturus, Timotheo germano in fide filio & *ἰσοψύχῳ* dedit, & tanquam præclarum depositum cum omni usu fructu legavit, in posteriori epistola capite II. v. 8. *Μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγγεγραμμένον ἐν βιβλίῳ, ἐν σπέρματι Δαβὶδ, κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου.* *Recordare Jesum Christum ex mortuis excitatum, ex semine Davidis, secundum evangelium meum:* estque omnino varias ob causas consideratione dignissimum. Etenim cum antecedentia respicimus, atque in his primum personam eius, cui illud tradidit Apostolus; sic omnino statuere nos oportet: si memoria & recordatio

datio Jesu Christi ex mortuis in vitam redeuntis tanto viro etiam tum utilis, imo necessaria fuit, qui tamen prædicationis evangelii, laborum & perpeſſionum Apoſtoli XVII. iam annos ſocius fuerat, & cui proinde cœtuum Chriſtianorum curam cum poteſtate conſtituendi epiſcopos & diaconos Apoſtolus dudum commendaverat; proſecto inter Chriſtianos nemo erit, qui hoc fidei caput cum fructibus ſuis cunctis ſatis perdidicit, & cui non peræque utile, immo neceſſarium ſit, hunc ſuum Servatorem O. M. ex mortuis ſuſcitatum memoria probe tenere ſæpiusque recordari.

Quando deinde res ipſas indagamus, de quibus iam ante egerat Apoſtolus, animadvertimus verſum 7. coherere cum v. 4. 5. & 6. in his vero tres contineri ſimilitudines, illuſtrantes ea, quæ v. 3. & 1. propoſita ſunt: ſed ibi adhibita concludendi particula, *σὺ ἐν ἐνδυνάμει*, & *σὺ ἐν κακοπάθεισιν*, iubent nos in caput I. regredi. Itaque hoc caput diligentius conſiderantes, deprehendimus omni ſtudio id egiffe Apoſtolum, ut hunc cœtuum Chriſtianorum præſulem adverſus timiditatem divina virtute præmuniret, & ad fortitudinem excitaret, atque in ſincera fide & ſana doctrina confirmaret: idque ſine dubio ob calamitates eccleſiæ cum præſentes tum imminentes. Imminebat furor Neronis mox erupturus in Chriſtianos: Apoſtolus Romæ iam iterum in cuſtodia tenebatur; & quanquam in prima ſua cauſæ dictione divina ope ex ore leonis (a) liberatus erat, tamen adhuc vinctus, diſceſſus ſui ad regnum cœleſte tempus inſtare noverat, 2 Tim. IV, 4. 16. 17. 18: quemadmodum etiam Apoſtolo Petro Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificaverat, brevi fore, ut ſuum domicilium deponeret, 2 Pet. I, 14. Atque ex hac calamitate alia haud minor, & quidem in ipſa eccleſia, exorta eſt: nempe omnes Aſiani Paulum doctorem ſuum, evangelii cauſa vinctum, iam averſabantur, 2 Tim. I, 15. ſqq. Demas eum dereliquerat, cap. IV, 10. nec pauci a vera fide deſecerant, qui alios quoque ſecum in errorem inducebant, cap. II, 16-18. Sic convulſis, quæ eccleſiam hætenus firmaverant, repagulis, tempus aderat, quo iudicium a domo Dei inciperet: neque ita multo

(a) Leonis nomine *Neronem* iam ante appellavit SENECA, inter familiares ſolitus dicere: *non fore, ſævo illi leoni, quin guſtato ſemel hominis crure, ingenuitate redeat ſaviria*; obſervante veteri Scholiaſte ad JUVENAL. Satyr. V. v. 109. Neque alium quam *Neronem* hæc voce designari crediderunt EUSEBIUS, Hiſt. eccleſ. L. II. c. XXII. CHRYSOSTOMVS, ceterique omnes, uſque ad JO. PEARSONUM, qui in Amalibus Paulinis, opp. poſthum. p. 24. hunc locum de Helio Cæſareano interpretari coactus eſt, ne officeret chronologiæ ſuz.

multo post exaratam hanc epistolam in Christianos favire Nero cepit (b).

Quare præcipua Apostoli nunc cura fuit, ut ab his malis non tantum Timotheo, sed eius quoque opera ecclesiæ Christi, quantum quidem concitatione, consiliis, ac monitis effici possent, caveret. Hinc in ipso epistolæ

(b) Nero hos resurrectionis Christi martyres adeo excogitata crudelitate necavit, ut vel sola eius recordatio nos expergefaceret: iuvabit igitur memoriam illorum, quæ alioquin ignota non est, ex veterum monumentis etiam nunc excitare, hisque præcipue, quæ simul tempus martyrii eorum illustrant. L. Lencanio Basso & M. Licinio Crasso Coss. i. e. anno æræ vulg. 64. cum mense Julio potior urbis pars incendio consumpta esset, neque ope humana, neque suis largitionibus efficere Nero posset, quin iustum ab ipso incendium crederetur: tum abolendo huic rumori reos subdidit *Christianos*, quorum *multitudo ingens* correpta est. Sed haud perinde in crimine incendiû, quam odio humani generis convictos esse; & perentibus addita ludibria, *ut ferarum tergis conlecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur*, testis coævus est TACITUS Annal. L. XV. c. 33. 38. seqq. & 44. qui juvenis spectator utriusque cladis ipse esse poterat, & quanquam ethnicus ac inimicus Christianis & Judæis, tamen res singulorum annorum præcipuas accurate notavit. Itaque in Christianos favire cepit Nero hoc anno 64. sed iam vergente, paulo post incoatum die XIV. Octobr. annum XI. imperii sui, & continuavit favitiam anno sequenti 65. donec ipsos etiam Apostolos, Petrum & Paulum e medio tolleret. Quo circa lapsus est sive EUSEBIUS in Chronico, sive eius interpres HIERONYMUS, qui illud ita latine reddidit, ut ex latinis scriptoribus passim quædam adderet, alia omitteret: etsi enim incendium urbis L. II. p. 161. recte ad annum X. Neronis retulit, tamen, inter alios parachronismos annis hæc commissos, primam hanc persecutionem ad annum Neronis XIV. sive ultimum reiecit, p. 162. edit. Amstel. 1658. *Primum Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem inter Christianos facit, in qua Petrus & Paulus gloriose Romæ occubuerunt.* Neque ei præsidio esse potest CASSIODORI Chronicon Consulare, quippe quod ex Eusebio, Hieronymo, Prospero, Victore, vel negligenter admodum consultum, vel certe per librarios hallucinationibus & parachronismis pluribus fœdatum est; confer. JO. ALB. FABRICII Biblioth. Lat. T. I. p. 654. Rectius huius temporis rationes indagavit PAULUS OROSIUS, qui Histor. L. VII. c. V. ad edit. Paris. 1510. postquam monstraverat, Neronem *primum Romæ Christianos suppliciis & mortibus affecisse*, addidit etiam ea, quæ deinceps consecuta sunt, & proinde ad annum sequentem pertinent, simul vero manifestam temporis notam indicavit: *per omnes, inquit, provincias pari persecutione exercuari imperavit; ipsiusque nomen extirpare cœnatus, beatissimos Christi Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Mox acervatim miseram civitatem oborta undique clades oppressere: nam subsequente autumno tanta urbi*

epistolæ exordio adhortationibus suis viam facturus, conscientiam suam (non, ut insimulabatur, sceleratam cap. II, 9.) sed puram testatus est v. 3. & lacrimas & fidem non fictam Timothei, cum primis vero aviæ & matris eius, in memoriam redigit, v. 4. 5. Inde rem ipsam adgressus, duo præcipue monita subiunxit: unum quidem, ut Timotheus divinum in se collatum gratiæ donum eo magis resuscitaret, quod Deus nobis non timiditatis spiritum, sed fortitudinis, & caritatis & prudentiæ dedit; quamobrem cum, neque evangelii Christi, neque Pauli eius vincendi, puderet, sed una secum pro evangelio adversa pateretur, & quidem Dei virtute, qui tot ac tanta nobis beneficia præstitit, cap. I, 6-10; idque suo deinde exemplo illustrat, addens, hoc sibi certissimum esse, quod Jesus Christus, cui suam addixerat fidem, sat potens esset, depositum sibi datum ad extremum usque diem custodire, v. II. 12. Alterum vero, ut eius

urbi pestilentia increbuit, ut triginta millia funerum in rationem Libitine venirent. Divina hanc cladem intulit vindicta, Silio Nerva & Attico Vestino Coss. i. e. anno aeræ vulg. 65. & quidem iam vergente; cuius rei iterum testis est TACITUS L. XVI. c. XIII. his verbis memoratu non indignis: *In urbe omne mortalium genus vis pestilentie depopulabatur, nulla coeli intemperie que occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur, cetera.* Sed & EPIPHANIUS, Har. XXVII. §. VI. p. 107. mortem S. Petri ac Pauli ἐπὶ τῷ θάδενάτῳ ἐστὶ Νέρωτος, velut rem notam, nec ambigam, commemoravit: atqui initium anni XII. Neronis in annum 65. diem XIV. Octobr. incurrit; ergo ille a Tacito non dissensit. Optime vero eundem illustravit & supplevit SEVERUS SULPICIUS Hist. S. L. II. c. 41: *Opinio, inquit, omnium invidiam incendii in principem retorquebat, - - neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo iussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, actaque in innocios crudelissima quæstiones: quin & novæ mortes excogitata, ut ferarum tergis conrecti, laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi, aut flamma usi. Plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis verentur. Hoc initio in Christianos sevirii coeprunt. Post etiam datis legibus religio vetabatur: palanque edictis propositis, Christianum esse non licebat. Tum Paulus ac Petrus capitis damnati: quorum uni cervix gladio defecta, Petrus in crucem sublatu est. Dum hæc Romæ geruntur, Judæi præsidis sui Fesli Flori iniurias non ferentes, rebellare coeperunt. Florus in Judæam venit anno 64. vergente, DEO sic dirigente cuncta, ut in ipso persecutionis Christianorum initio, infensissimi eorum hostes Judæi huius vexationibus subiecti essent: bellum inde iam diu conceptum anno 66. mense Maio in actum erupit. Ceteram quod Tacitus & ex illo Sulpicius tradidit, Christianos inaudita crudelitate in usum nocturni luminis exustos fuisse; illud verus Scholiastes in Juvenal. Satyr. I. v. 155. seqq. clarius explicuit: Neronem nempe tela & papyro & cera eos supervestisse, & sic ad ignem admoventi iussisse, ut arderent vivi, cum fixa essent illis guttura, ne se curvarent.*

eius rei gratia Timotheus hoc ipsum præclarum depositum sibi concessum, typumque sive expressam sanæ doctrinæ & verborum formam, quæ ab Apostolo audiverat, in fide & caritate in Jesu Christo posita, per Spiritum S. in nobis habitantem teneret ac custodiret, v. 13. 14. Hæc duo præcipua momenta, initio epistolæ ita inter se apta & connexa, sic deinceps urget, imprimis confirmat, pluribusve exemplis & similitudinibus illustrat: ut haud quidquam in universa reperiatur epistola, quod ad hunc scopum non collineet. Huc triste Asianorum exemplum, v. 15. cum altero Onesiphori præclarissimo, v. 16-18. spectat. Huc præsertim confectaria pertinent, quæ capite II. urgeri videmus: primum, *Tu igitur, mi fili, corroborare in gratia, qua in Jesu Christo est*, v. 1. alterum, quo simul remedium sanam doctrinam custodiendi & in posteros propagandi suppeditatur: *Et qua ex me multis testibus audivisti, ea committe fidei hominibus, qui sint ad alios etiam docendos idonei*, v. 2. tertium: *tu igitur adversa patere, ut bonus Jesu Christi miles*, v. 3. Denique huc spectant subiunctæ v. 4. 5. 6. similitudines, cum insigni adhortatione. Pertæsus tot malorum Demas, quæ non minui, sed augeri videbat, derelicto Paulo, cap. IV, 10. præsentis seculi amore, forte sese vitæ negotiis implicaverat, cap. II, 4. Sed & alii eius ante discipuli præclarum fidei certamen non satis legitime certabant, cap. II, 5. eiusque rei documentum sat triste in prima eius apologia dederant, cap. IV, 16.

Itaque ne hæc contagio longius serperet, atque ad alios ipsumque etiam Timotheum maneret, necessarium Apostolo quam maxime erat, afferre remedium, idque efficax contra tot, atque tanta mala, præclarum & salutare. Nam adhortationes quælibet graviore movent quidem, excitant, ac expergefaciunt: sed hæc animi concitatio quantumvis vehemens sensim minuitur & evanescit; nisi aliquid semper præsto sit, quod ratione utriusque in animo facultatis, cum intelligendi, tum volendi, par sit, satisque virium habeat hanc concitationem corroborandi, nutriendi & augendi. Equidem iam ante docuerat Apostolus, ex gratia Jesu Christi sumendas esse vires ac robur, cap. II, 1. sed qua potissimum ratione hanc gratiam, quæ utique in Jesu Christo posita est uberrima & efficacissima, cum omnibus suis fructibus præstantissimis identidem in se derivaret Timotheus, nondum aperte indicaverat, nisi quod cap. I, 14. ipsum commonuerat Spiritus S. inhabitantis in nobis. At Spiritum S. nobis acquisivit Jesus Christus: proinde ille etiam non loquetur a semetipso, sed Christi gloriam illustrabit, & de his quæ Christi sunt sumet nobisque exponet, Joh. XVI, 7. 13. 14. 15. Atque hoc est præclarum illud, salutare & efficacissimum contra omnia mala
reme-

remedium, quod simul vim illuminandi mentes hominum, excitandi, corroborandi, atque vires vitales augendi secum adfert divinam & incredibilem: Dominus noster JESUS CHRISTUS. Hunc igitur iam dudum opera sua semper & in cunctis coetibus, praesente tum Timotheo, declaratum celebratumque unicum Servatorum & Dominum ex morte piaculari in vitam reducem, absenti rursus in memoriam redigit, & tanquam unum salutis, unum laborum & sollicitudinum omnium perfugium demonstravit, v. 7. 8. qui & intellectui eius perspicaciam in omnibus daret, & depositum custodiret ad extremum usque diem, prout haec cuncta in seipso expertus erat Apostolus, v. 9. sqq. collatis cap. I, 12. cap. IV, 16. 17. 18. Ex quibus clarissime demonstratur, non esse melius, nec paratius in omnibus malis perfugium, neque maius praesidium ad vitam beatam, neque ullum adeo praecclarum & salutare remedium, quo similiter queant mentes nostrae excitari, perspicacia donari, & intelligendi facultas perfici, adhuc gratia augeri, & fides confirmari, & vires crescere ac corroborari, & haec denique omnia in tentationibus & certaminibus ad triumphum usque facta tecta conservari: quam hoc, ut promissum olim ex Davidis semine, divinoque munere donatum nobis Servatorem, Jesum Christum ex mortuis reducem memoria teneamus & identidem cogitemus.

Quoniam vero simul expresse mandatum est, ut haec meditatio sit *secundum evangelium Pauli*, sive secundum illud evangelium, quod ab ipso Jesu Christo in vitam iam reduce acceperat Paulus, Gal. I, 12. & sacris Christianorum coetibus tum coram, tum in epistolis suis exposuerat: necesse omnino est, ut in historia & epistolis eius respiciamus ea, quae nobis ad hunc finem litteris consignata tradidit Spiritus S. Atque hic primum observamus ipsam Pauli vocationem, & quid potissimum negotii, ac quodnam *evangelium* Christus ei tradidit, cuius adeo causa se illi ex mortuis suscitatum & in vitam reducem gloriosissime demonstravit, Act. IX, 4-6. cap. XXVI, 16-18: nimirum ad hunc finem ei apparuit, ut constitueret eum ministrum & testem, non modo passionis & mortis, sed imprimis etiam resurrectionis ac gloriae suae, quam ipsi nunc monstraverat; quo hac testificatione Judaeis ceterisque gentibus oculos aperiret, ut ex tenebris in lucem, & ex potestate Satanæ ad Deum se converterent, atque ita remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos acciperent, per fidem in hunc Servatorem, pro peccatis eorum mortuum, sed ex mortuis suscitatum, Christum ac Dominum. Itaque hoc est idem illud, quod ceteris ante tradiderat Apostolis, eosque illius testes & praecones constituerat, Luc. XXIV, 46. sqq. nempe sic oportuisse Christum pati,

pati, & tertia die ex mortuis resurgere, eiusque nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum inter omnes gentes prædicari: idemque ipsum *evangelium Dei*, quod ante promiserat per suos vates in sacris literis, de filio suo, qua humanam naturam orto ex Davidis semine, at potentissime demonstrato filio Dei per resurrectionem ex mortuis, cetera, Rom. I, 1-4. idque omnino Paulus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem, qui eum excitavit ex mortuis, acceperat, Gal. I, 1. 11. 12. Rom. I, 1. 5. Deinde, quæ ratione Apostolus hæc a Christo patefacta sibi tradita prædicaverit, deprehendimus, v. 20-23: denunciavit nempe Judæis & gentibus, ut pœnitentiam agerent & ad Deum se converterent, ac opera pœnitentiæ convenientia facerent; testificans cum parvis tum magnis, nec quidquam extra ea dicens, quæ Prophetæ pariter & Moses futura ante denunciaverunt: nempe quod Christus passurus esset, primusque ex mortuis in vitam revocatus lucem Judæis & gentibus nunciaturus.

Ut proinde *evangelium Pauli*, quod Christus ei tradidit, hic vero hominibus annunciavit, nequaquam fuerit sola de Christo *homine e semine Davidis*, eiusque humilitate, doloribus, vulneribus, sudore, sanguine, & mortis denique agone, institutio: sed universa de Jesu Christo *Servatore*, ac imprimis etiam de eius *divinitate & resurrectione* ex mortuis, doctrina; & quidem addita semper, quam sibi Dominus simul patefecerat, ratione & ordine, quo homines salutis per ipsum partæ compotes fieri possent ac deberent. Sic Ephesios toto biennio cum publice tum privatim docuit *evangelium gratia Dei*, simul testificans illis *conversionem* ad Deum, & *fidem* in Dominum nostrum Jesum Christum, immo omne consilium Dei annuncians, Act. XX, 20. 21. 24. Sic Thessalonicensibus Scripturas V. T. explicavit, ostendens, oportuisse Christum *patri & ex mortuis resurgere*, & hunc esse Christum Jesum, quem ipse annunciaret, cap. XVII, 2. 3. Si vero epistolas, quas dictante Spiritu S. ad coetus Christianorum, velut expressum salutaris doctrinæ exemplar & fidei normam, dedit, respicimus: vel in ipso earum limine deprehendimus Rom. I, 3. 4. tantum quod *filius Dei*, qua *hominem* secundum divinam promissionem *semine Davidis prognatum* indicaverat, cum continuo addidit, potentissime demonstratum esse *filius Dei per resurrectionem* ex mortuis, Jesum Christum *Domini* nostrum. Et cap. IX, 5. vixdum monuerat, Christum *ex patribus* Judæis esse secundum *carnem*, cum illico necessarium esse iudicavit, ut adiiceret, eundem esse *Deum summum benedictum in secula*. Nimirum tanta in eo fuit Servatoris ac Domini sui eiusque evangelii veneratio: nec minor cura, ut hæc expressa sanæ doctrinæ forma perpetuo observaretur, eamque Timotheus, cum ipse teneret ac custodiret per Spiritum

tum S. tum fides committeret hominibus, qui essent ad alios etiam docendos idonei, 2 Tim. I, 13. cap. II, 2.

Itaque eos omnino falli necesse est, qui ex 1 Cor. II, 1. 2. eruere conantur, Corinthiis tamen Paulum haud quidquam prædicasse, nisi Jesum Christum, & hunc quidem *cruci affixum*: nam neque is verborum sensus esse potest, quem fingunt Antinomi (c); neque unquam hic Christi legatus

(c) Ponamus, verbis istis 1 Cor. II, 2. ipsam *evangelii prædicationem* idque ipsam *obiectum*, quod *solum* Corinthiis prædicasset, significari; tum aut sensus hic esset: prædicavi vobis Jesum, *tantum cruci affixum*; sed hoc nunquam dixit Apostolus, neque scripsit *μόνον ἐσταυρωμένον*, aut *εἰ μὴ τὸν ἐσταυρωμένον Ναζωραῖον*, & quod maximum est, ne quidem hoc scribere vel cogitare potuit, quippe quod omnino falsum fuisse demonstravit ipse 1 Cor. XV, 1. 3. 4. seqq. & tot locis aliis mox citandis; ut cetera istius sensus incommoda reticemus, quippe quem Antinomi ipsi admittere nequeunt, nisi sibi met suaque doctrina contradicant; si enim Apostolus Jesum, *tantum cruci affixum* prædicasset, tum nihil dixisset de Christo homine, Davidis sobole, eiusque nativitate, circumcissione, paupertate, humilitate, doloribus, latere aperto, & ne quidem de expiatione impietatum ac salute per ipsum parta, & fide in eum collocanda; nedum de DEO Patre, & Spiritu S. eiusque gratia. Aut hic omnino sensus erit: prædicavi vobis *solum Jesum*, quod *is sit* ille humano generi promissus *Christus* vel *Messias*; & hunc quidem *non* talem, qualem sperant, qui vobiscum magno numero vivunt, Judæi & profelyti, *regem* huius mundi suamque liberatorem adhuc venturum, *sed* qui iam venit, & (quod maxime *Judeis* offensionis *græcis* stultitia est 1 Cor. I, 18. 23.) *cruci omnino affixus* & *pro peccatis nostris mortuus*, & *sepultus*, & die tertia *ex mortuis suscitatus est*, cet. atque hæc profecto prædicasse Apostolum, & quidem *secundum S. Scripturas V. T.* constabat inter omnes Corinthios, cap. XV, 1. seqq. neque tamen hæc sola, sed modo *ἐν πρώτοις*, in primis ac præcipuis v. 3. proinde, quicquid ad fundamentum, media, & ordinem salutis præcipue pertinet, illud omne verbis hæc designatum est, idque prout a Paulo secundum omnes suas partes, præeunte S. Scriptura V. T. prædicatum est, Spiritus S. etiam aliis in locis sola hæc propositione complexus est, *Ἰησὺς ἐστὶ ὁ Χριστός*, 1 Cor. III, 11. Act. XVIII, 5. Enimvero ipsa huius commatis verba 1 Cor. II, 2. & ea, quæ sequuntur, ostendunt illud Apostolo propositum non fuisse, ut hoc loco speciatim exponeret, *quenam evangelii capita* Corinthiis *prædicaverat*: sed ut generatim, quo se modo inter eos gesserat, & *quid præ se tulerat*, eis in memoriam revocaret; idque ne absolute quidem, sed per oppositionem. Nam, præter iam commemoratos Judæos, constabant æque Corinthum, ut Athenas, græci doctores omnis generis; & quilibet sibi paraturus ea, quæ ad cultum & ad vitam necessaria erant, homines ad se allicere, eumque in finem se super alios efferre, suamque cum *sapientiam*, tum *eloquentiam* venditare studebat: inde, tam inter ipsos, quam inter auditores eorum, *emulationes* & *contentiones* continuæ erant; Corinthi vero æque, ac Athenienses, his iam adeo assueti fuerat, ut a quolibet

adve-

legatus ausus est illud evangelium, quod sibi Dominus integrum tradiderat, mutilum & deurtatum aut alio proponere ordine: & tantum abfuit, ut tale facinus Corinthi admiserit, ut contrarium se omnino fecisse ipse

adveniente doctore *καὶ νόστος* 71, novam quandam sapientiam expectarent (Act. XVII, 19. 20.) Paulus ergo, cum ad illos veniret, divinum annunciaturus testimonium, licet eruditionis minime expertus esset, tantum tamen abfuit, ut ad spem *Judaeorum*, aut *græcorum* consuetudinem se vel tantulum accommodaret, & excellentiam orationis vel sapientiae affectaret, v. 1. ut potius, ne doctrina de cruce Christi inanis redderetur, & ne homines sibi magis quam Christo adiungeret, *secum statueret, ita se gerere apud eos, quasi nihil sciret, præter hoc, Jesum esse Christum*, sive promissum & donatum humano generi Messiam, atque hunc cruci affixum, v. 2: quod, licet ab expectatione *Judaeorum*, & ab ea, quam *græci* quærebant, sapientia usque adeo alienum esset, ut illis *offensio*, his *stultitia* videretur, donec elatos eorum animos Spiritus S. aperiret; tamen omnino necessarium fuit, cum ob allatas rationes, tum ut tanti Apostoli exemplo, ipseque in primis obiecti efficacissimi meditatione *spiritus eorum coercerentur* & reprimerentur. Sic se apud illos gessit Apostolus, nec sine timore multo inter eos versatus est, v. 3. Atque his ita explicatis, nunc demum speciatim illos *predicationis* suæ commonefecit; & primum quidem quoad modum proponendi v. 4. seqq. & 13. monuit, *eam non in persuasoriis humana sapientiae verbis, sed in demonstratione Spiritus & virtutis* fuisse: deinde etiam quoad res, quas a Domino acceptas illis tradiderat, in memoriam eis revocavit *obiectum* predicationis suæ, tam *primarium*, quod velut fundamentum posuerat, nempe *Jesum esse Christum*, cap. III, 10. 11. eumque *secundum S. Scripturas pro peccatis nostris mortuum, sepultum, & die tertia suscitatum ex mortuis, &c.* (cap. XV.) quam reliqua *doctrinae capita* cum eo connexa, v. 16. & cap. VI, 2, 3, 9. 15. cap. XI. 23. seqq. & cetera, de quibus nota sequenti.

Quæ uti manifesta sunt, ita *rationes* simul dilucide exponunt, *cur* Apostolus Corinthum veniens, ita se inter eos gerere statuisset, quasi nihil sciret præter hoc, *Jesum esse Christum*, atque hunc cruci affixum; & *cur* id ipsum illis nunc quoque in memoriam redigeret: nimirum non eam ob causam, quod nulla forte alia doctrinae capita eis prædicaverat, id enim falsissimum est; sed ideo, quia, ad reprimendam spem vanam *Judaeorum*, & imaginariam *græcorum* sapientiam, & ad supplantandam utrorumque arrogantiam etiamnum, postquam ad fidem Christianam accesserant, prorumpentem, non efficacius remedium fuit, quam hæc Servatoris humani generis pro peccatis nostris cruci adfixi meditatio, & ea quidem ab ipso eius Apostolo suo proprio exemplo inculcata. At contra idem Apostolus in hac epistola cap. XV. summam evangelii, quod de Christo illis prædicaverat, ex instituto enarrans, *crucifixionis* eius nullam mentionem iniecit, mortis piacularis paucis modo verbis meminit; resurrectionem autem ex mortuis, eiusque vim & efficaciam, in memoriam quam maxime revocavit, ita quidem, ut redivi etiam apparitiones Servatoris copiose recensuerit: num propterea statuimus; Paulum de Christo cruci adfixo apud Corinthios siluisse? nihil minus, id enim ideo factum esse videmus, quia ex resurrectione Christi

ipse demonstraverit, in hac eadem epistola cap. XV, 1-17. verbis apertissimis. Quod enim ad *ordinem* attinet, non reticuerat *peccata* Corinthiorum, v. 3. & 17. & cap. V, 9-11. collatis v. 1. sqq. & 2 Cor. VII, 7-11: quoniam, nisi eorum turpitudinem & noxam satis perspectam haberent ac destarentur; neque se ex potestate Satanæ ad Deum converti finerent, neque Servatorem eiusque iustitiam sitirent (Act. XXVI, 18. Matth. IX, 12. cap. V, 3-6.) Quod vero ad *evangelium* ipsum pertinet, *Christum*, non solum morte sua peccata nostra expiantem, idque secundum divina V. T. oracula, v. 3. sed eundem etiam sepultum, ac tertia die ex mortuis in vitam reducem illis annuntiaverat: & hoc quidem adeo accurate diligenterque, ut id ipsum non modo similiter ex divina V. T. scriptura demonstraverit, v. 4. sed præcipuas quoque post resurrectionem apparitiones, v. 5-8. ipsiusque resurrectionis necessitatem & fructus salutares explicaverit, v. 14. 17. sqq. Atque hanc reliquorum *Apostolorum*, hanc *suam* apud Corinthios prædicationem fuisse testatur v. 3. 11. collato cap. III. 10. 11: at nequaquam solam (d), & ne quidem solam primariam aut primam; sed modo *ἐν πρώτοις*, in primis ac primariis, non *πρώτως* vel *πρωτον*, quamvis etiam, si ita scipsisset, inde tamen nullo modo

nostram resurrectionem derivare & stabilire necesse erat. Sic Paulus, sic ceteri Apostoli evangelium de Christo, non mutilum, sed integrum annunciarunt; quia vero nihil in hoc evangelio inane, nihilque eorum omnium, quæ Christus pro nobis egit, supervacuum, sed omnia salutaria sunt: idcirco in hoc suo munere simul ita versati sunt, idque dictante Spiritu S. ut pro diversa qualitate hominum, & pro diversitate eius rei, quam in illis excitare & efficere necesse erat, modo perpeffiones & crucifixionem Christi, interdum mortem eius piacularem, nonnunquam resurrectionem ex mortuis, cet. speciatim urgerent maximeque applicarent. Sic Petrus regenerationem in spem vivam ad hereditatem in coelis repositam, & fidem eiusque incrementa & perseverantiam, ex resurrectione Christi eiusque supremo adventu derivavit, 1 Pet. I, 3. seqq. & 21: idem vero mansuetudinem & patientiam excitaturus, mansuetissimi Servatoris perpeffiones pro nobis in memoriam redegit, cap. II, 21. seqq; at vitam caute religioseque ducendam esse graviter monuit, ob summum redemptionis pretium a Christo solutum, eiusque severum iudicium, cap. I, 17. 18. 19. ut permulta alia taceamus exempla, Rom. XIV, 15. 1 Cor. VI, 20. Eph. I, 19. 20. Col. III, 1. cetera.

(d) Quo enim modo Apostolus Corinthios conscientiam toties potuisset testem vocare, atque tot ipsis res, velut iam bene notas in memoriam revocare, cap. VI. 2. 3. 9. 15. 16. 20. cap. VIII, 1. nisi his aliisque doctrinæ Christianæ rudimentis, e. g. de *baptismo*, cap. I, 13. & *S. cæna*, cap. XI, 23. sqq. ipse eos ante imbuisset? Nimirum in Christo Jesu Corinthios genuerat per *Evangelium*, cap. IV, 15. simul vero ipsis adhuc carnalibus lac bibendum dederat, cap. III, 2. sive *prima verborum Dei elementa* inculcaverat, e. g. de *resipiscencia* ab operibus mortuis, & *fide* in Deum, *baptismo*, & *manuum impositione*, & *resurrectione mortuorum*, & *iudicio æterno*, Hebr. V, 12. cap. VI, 1. 2.

modo sequeretur, illum, post hæc primaria prædicationis capita, Corinthiis non proposuisse alia plura.

Quæ cum ita sint, & cum ex ante dictis, immo ex V. & N. F. oraculis cunctis, atque ex ipsius Christi eiusque Apostolorum verbis toties iteratis apertissimis perspicuum sit, non tantum *perpersiones & mortem* eius, sed inprimis quoque *resurrectionem* ex mortuis, necessariam & salutarem nobis quam maxime fuisse & esse: nostrum est dispicere, quænam sint illæ partes, quas præcipue *resurrectioni Domini* in evangelio suo tribuerint Apostoli, vel potius per eos ipse Spiritus S.? Hoc loco (1 Cor. XV.) docemur, Christum mortuum esse pro peccatis nostris, v. 3. attamen, nisi ex mortuis etiam *surrexisset*, vanam futuram fidem, & nos *adhuc in peccatis*, v. 14. 17. Et D. Petrus Act. V, 30. 31. demonstrat, Deum ideo *fuscitasse Jesum*, eumque ducem & Servatorem dextra sua *exaltasse*, ut daret Israeli poenitentiam & remissionem peccatorum. Similiter Rom. IV, 25. legimus, propter *delicta* nostra traditum, & propter *iustificationem* nostram fuscitatum esse: ita ut *nulla plane condemnatio* metuenda sit his, qui in Christo Jesu sunt, & divino aguntur Spiritu, electis Dei, quoniam *Christus mortuus est*, immo *vero etiam* qui *fuscitatus est*, qui *etiam est ad dextram Dei*, qui *etiam intercedit* pro nobis, cap. VIII, 1. 14. 33. 34. Si enim, hostes cum essemus, *reconciliati sumus Deo per mortem Filii*, multo magis reconciliati salutem consequemur in vita eius, cap. V, 10. Sic idem D. Paulus *illuminationem*, Act. XXVI, 23. & *Petrus conversionem*, cap. III, 26. cap. V, 31. ac *regenerationem*, 1 Pet. I, 3. uterque *vero fidem*, & *remissionem peccatorum*, & *vitam in & cum Christo*, tum *spiritualem*, tum *æternam*, Act. V, 31. cap. XVII, 31. 1 Pet. I, 21. & v. 3. 4. cap. III, 21. Rom. VI, 4. 5. 8. cap. V, 10. Eph. II, 5. 6. quin & in hac ipsa 2 epist. ad Timotheum, & hoc cap. II, 11. 12. in fructus & effectus *resurrectionis Christi* retulerunt. Nimirum hæc est illa salutis partæ *applicatio* & attributio, ad statum *exaltationis & regium* Servatoris nostri *θεωθεωπος* munus pertinens, nobis vero perinde necessaria, ac impietatum expiatio & salutis *acquisitio*, ad statum *exinanitionis* & munus *summi pontificis* pertinens. Utriusque effectus salutare adeo accurate distincteque nobis exposuit Spiritus S. cuius est Christi gloriam illustrare Joh. XVI, 14. ut de illis dubitare nefas esset. Filius, inquit, Dei traditus est propter delicta nostra, & pro peccatis nostris mortuus est, ut per mortem suam *Deo nos reconciliaret*: atque adeo Servator noster *θεωθεωπος*, obedientia sua activa & passiva, actionibus & perpersionibus cunctis, ipsaque præsertim morte, satisfecit legi & iustitiæ divinæ, debita nostra solvit, poenas dependit, reatumque abolevit; simul vero favorem Dei, imaginem eius, lucem, iustitiam, vitam, & quidquid per peccata amissum erat, omnesque gratiæ divinæ actus & operatio-

rationes, perfecte pleneque nobis *acquisivit*. Sed quia nos animo caligantes, a vita Dei alieni, viribusque destituti, & in peccatis omnino mortui eramus; ideoque hæc tanto pretio *acquisita* nobis bona ne *apprehendere* quidem, nedum nobis *attribuere* iisdemque frui poteramus: idcirco, ne in hæc peccatorum miseria & morte maneremus, *oportuit Servatorem ex mortuis resurgere*, eumque occupare *statum*, in quo divinam potestatem & perfectiones cum humana sua natura dudum communicatas perfecte pleneque exerceret; atque, ut a Deo in id exaltatus *σῶτης & ἀρχηγός* Act. V, 31. omnibus se ipsi eiusque sceptro submittentibus partam tanto pretio remissionem peccatorum, fidem, iustitiam, lucem, vitam, viresque, & gratiæ divinæ operationes omnes, ipsumque Spiritum S. hæc effecturum, Joh. XVI, 7. & quidquid morte sua adquisiverat, *actu præstaret & attribueret*. confer. etiam Apoc. I, 18. cap. III, 21.

Tanti cum sint resurrectionis Jesu Christi effectus, immo tanta cum sit in illa, & quidem nobis parata virtus, ut vel ipse D. Apostolus, circiter 26. muneris sui annum eam *δύναμιν Ἰησοῦ ἀναστάσεως αὐτοῦ* nondum affectus esset universam, quamvis ceteris a tergo relictis ad hunc præcipue scopum contenderet, Phil. III, 10. 13. 14: vobis profecto, *Cives*, nihil unquam præstantius, aut efficacius, aut quod salubrius magisque e re vestra esset, in memoriam redigere possemus, quam idem illud, quod Christi Apostolus senex, iamque in omnibus expertus, tot perfunctus laboribus maximis, & calamitates perpeffus innumeras, paullo ante quam ex hac vita in cælum migraret, postrema hac sua, & quidem distante Spiritu S. exarata epistola, suo *ἰσοψύχῳ* & universo Christianorum cœtui proposuit, velut efficacissimum sibi que ipsi probatissimum semper adversus mala omnia remedium, tutissimumque laborum & sollicitudinum cunctarum perfugium, immo vero fidei veræ & spei vivæ & salutis omnis fundamentum unicum, & lucis, sapientiæ ac prudentiæ, vitæque spiritualis ac æternæ, viriumque nervorum & roboris, ac denique bonorum omnium fontem perennem plenissimumque, JESUM CHRISTUM ex piaculari pro peccatis nostris morte in vitam reducem.

Rationem & modum, quo ex hac plenitudine Jesu Christi nobiscum identidem sumetis, quidquid unquam necessarium erit, idem quoque ostendit Apostolus, tum adhibito modo optativo, *δὲν - - ὁ Κύριος*, v. 7. nempe suspiriis ac precibus ad Dominum opus esse: tum vero imprimis verbo *μνημόνευε*, *memento, recorde, memor esto, memoria repete*, hoc est, *iterum & sæpius cogita & recogita* Jesum Christum. Nimirum inter omnes constat, habitum & perfectionem in re qualibet non sine crebriori exercitatione comparari; & quibus in rebus animum assidue occupatum habent homines, in his maxime exercitatos esse, quin & eas optime assequi, & sibi ad usus suos coniungere: proinde, qui magnis in posterum præerunt negotiis, his minime expedire, ut in nugis aut tricis, rebusque inanibus & levioribus atatem terant; sed ad magna

gna & sublimia ducendos esse, quippe quorum cogitatio crebrior mentem excitat, ingenium alit, & intelligendi prudentiam acuit & perficit. Quae cum ipsa etiam experientia teste vera sint, profecto quisquis vestrum vere sublimia cogitare, atque hac ipsa cogitatione, consuetudine & exercitatione se mentemque suam immortalem recte perficere volet: is, duce Apostolo, vel potius Spiritu S. ipsum, quo nihil sublimius est, IESUM CHRISTUM sapius cogitabit & recogitabit, & cum quidem *ex mortuis suscitatum*, & *e semine Davidis*, idque *secundum eius evangelium*, ubi salutare resurrectionis eius fructus, & quo ordine illis frui liceat omnibus, uberius explicavit (e); hoc est, eodem interprete Rom. I, 1-4. cap. VI, 4. 5. 8. 10. 11. cap. VIII, 10. 11. 33. memoria repetet sapiusque meditabitur, ipsum *DEI Filium*, promissum in V. T. ex Davidis semine humani generis *Servatorem*, postquam *pro peccatis nostris mortuus* erat, potentissime *demonstratum esse Filium DEI* secundum *Spiritum* sanctificationis *per resurrectionem ex mortuis* (f) *JESUM CHRISTUM Dominum nostrum*, iamque *vivere*, & *DEO vivere*, & *regnare*,

(e) Aug. Confessio, abusu artic. III. ad verba institutionis S. Coenae: hoc facite in mei commemorationem, edit. Rechenberg. p. 25. sqq: *Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire, quod vere exhibeantur nobis. Nec satis est, historiam recordari, quia hanc etiam Judaei & impii recordari possunt. Quae in Apologia A. C. p. 268. ita illustrantur: Hac fides erigit contritas mentes, - - vivificat perterrefacta corda, - - Nam meminisse Christi, non est otiosa spectaculi celebratio - - sed est meminisse beneficia Christi, eaque fide accipere, ut per ea vivificemur.* LUTHERUS in sermon. paschal. Torgaviae 1533. coram Electore habitis, To. VI. Jen. fol. 78. sqq: *Er hats aber nicht dabey lassen bleiben, unser HErr Christus, daß er gestorben, und zur Hölle gefahren ist, (denn damit wäre uns noch nicht endlich geholfen): sondern ist wieder aus dem Tod und Hölle gefahren, das Leben wiederbracht, und den Himmel aufgeschlossen, und also öffentlich seinen Sieg und Triumph an Tod, Teufel, Hölle beweiset, dadurch, daß er, laut dieses Articuls, am dritten Tag wieder auferstanden ist von den Todten; das ist das Ende und das beste davon, in welchem wirs alles haben, denn es ist auch darin alle Gewalt, Krafft und Macht, und was da ist in Himmel und Erden. - - Da geböhret nun ein starcker Glaube zu, der diesen Articul starck und gut mache, und diese Worte, Christus ist erstanden, mit grossen Buchstaben ins Hertz schreibe, und so groß mache als Himmel und Erden, daß er nichts anders sehe, höre, dencke, noch wisse, denn diesen Articul, als sey nichts anders geschrieben in der gantzen Creatur, und so einbilde, daß er sich gantz drein stecke, und nur dieses Articuls lebe, wie S. Paulus davon pflegte zu reden, als ein rechter Meister diesen Articul auszustreichen, und immer beyde Hertz und Mund voll hat, wie Christus auferstanden ist. - - Und sollen hinfert diesen Articul so scharf ansehen, daß alle andere anblick dagegen nichts seyn, als sehestu nicht anders im gantzen Himmel und Erden, cetera praelara.*

(f) Illustrissimus versionis N. F. germanicae auctor, quae Budingae 1739. prodiit. verba Apostoli ita explicuit: *Erinnere dich beständig, daß JESUS Christus, der von den Todten auferstanden ist, laut meines evangelii, ein nachkomme Davidis ist.* Num vero haec interpretatio scopo Pauli, quem dilucide monstravimus, num antecedentibus & sequentibus conveniens sit; num proprie secundum illud evangelium

regnare, atque ad eius dextram esse, & pro nobis intercedere, ut nos etiam, quotquot nosmet illius sceptro & ordini submittimus, cum ipso & per ipsum DEO vivamus, quo hic ipse locus 2 Tim. II, 11. quoque spectat.

Enimvero, qui hæc meditantur, illi vere sublimia, excelsa & magnifica, immo cælestia & divina cogitant: simul vero etiam ea expendunt, quæ sibi utillissima maximeque salutaria sunt, & directe ad finem immortalibus animis suis propositum spectant. Quo autem sapius cogitant, Dominum suum Jesum Christum ex mortuis suscitatum, ad dextram Dei in omnes dominari, & pro se intercedere, sibi Spiritum S. ac bona largiri cuncta; atque in hac sublimi & salutari meditatione mentem crebrius occupatam habent: eo facilius hæc ipsa mens se ab humanis rebus ad cælestia refert, & vires ac robur colligit, & altius penetrat, & incitatus meditatur, & acutius ratiocinatur, & follertius perspicit, & sensus sibi paratior & exercitior ad discretionem boni malique, qua nihil in hac vita utilius est, reddit, denique in hoc Servatore suo omnem suam fiduciam ac spem collocat, eumque intensius amat, & in ipso tota, quicquid sibi etiam obtigerit, requiescit. Ut proinde nihil plane in toto sit orbe, quod nunc naturæ mentis nostræ immortalis similiter conveniat, eamque sic perpoliat ac perficiat, quemadmodum meditatio Domini nostri ex mortuis in vitam reducis, JESU CHRISTI: idque non solum propter summam obiecti huius excellentiam, bonitatem & perfectiones, quæ vel solæ vos allicere & excitare debent, cum simul vobis fructuosissima sint; verum etiam quia, dum in hac meditatione mens occupatur, cum ipso Creatore & Servatore suo versatur, cui suam originem, facultates & omnia debet, qui vero & vult & potest eam magis ac magis perficere, immo divinæ participem naturæ facere, 2 Pet. I, 3. 4. idque re ipsa tunc præstabit, cum illa hac ratione directe ad summum sibi ab ipso propositum finem adspirat; ad quem utinam serio contendamus omnes, Act. V, 31. Gal. II, 20. Col. III, 1. 2. Pf. LXXIII, 23 -- 26.

gelium, quod Paulus ceterique Apostoli imprimis prædicaverant, 1 Cor. XV, 1. 3. 4. 11. cet. & num præcipue hæc meditatio, Christus est soboles Davidis, efficacissimum contra tot mala remedium afferret Timotheo, qui patre græco prognatus erat: illa eiusque generis alia pluribus nunc persequi supervacaneum esset; præsertim cum per se satis perspicua sint, & ex ante dictis sequantur, & evangelium Pauli nemo rectius explicare possit, quam idem ille Apostolus verbis iam allatis, Rom. I, 3. 4. Aliter D. LUTHERUS, de necessaria tum divinitatis quoque Jesu Christi meditatione, To. VII. Altenb. p. 92: *Dem wo der Teufel mir das angewöhne, daß ich Christum als einen lauter Menschen für mich gecreutziget und gestorben ansehe, so wäre ich verlohren; wenn ich aber den Schatz und das Gewicht daran henge, daß Christus beyde warhafftiger GOTT und Mensch für mich gestorben ist &c. das wigt und schlägt weit über alle Sünde, Todt, Hölle, und alle Jammer und Hertzleid.* tum resurrectionis eius, verbis iam allatis nota (e); quibus addimus ex To. I. Isleb. fol. 134. hæc egregia: *Darum haben die Apostel diesen einigen Articul vor allen andern getrieben und geprediget, -- darun sehet ihr, wie viel an diesem Articul der Auferstehung gelegen ist, daß wir aller Articul daß geraten mögen, denn dieses. -- Das ist auch die Ursache, daß Paulus kein Werck oder Wunderwerck Christi getrieben, geprediget, und in allen seinen Episteln so fleißig gehandelt hat, als eben die Auferstehung Christi: ia er schweigt alle Wercke und miracul Christi, und prediget und lehret uns sonderlich die Früchte und Brauch der Auferstehung Christi, cetera.*



52 K 6

1078

